

**Dissertatio inauguralis medico-chirurgica de polypis uteri et vaginae,  
novoque ad eorum ligaturam instrumento ... / [Woldemar Andreas Nissen].**

**Contributors**

Nissen, Woldemar Andreas, 1764-1832.  
Universität Göttingen.

**Publication/Creation**

Gottingae : Jo. Christ. Dieterich, [1789]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/ext98ctv>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>







38778/P

J XVIII 8

18



DISSERTATIO INAUGURALIS  
MEDICO - CHIRURGICA  
DE  
POLYPIS VTERI  
ET VAGINAE, NOVOQVE AD EORVM  
LIGATVRAM INSTRVMENTO

---

QVAM  
ORDINIS INCLYTI MEDICORVM CONSENSV  
PRO RITE OBTINENDO  
GRADVS DOCTORIS  
MEDICINAE ET CHIRVURGIAE  
PVBLICAE CENSURAE SVBMITTIT

AVCTOR  
WOLDER ANDREAS NISSEN  
HAMBVRGENSIS.

ADNEXAE SVNT II. TABVLAE.

---

DIE VII. NOVEMB. MDCCLXXXIX.

---

GOTTINGAE  
TYPIS JO. CHRIST. DIETERICH.



Dr. H. B. Semmeling

DISSERTATIO IN AVGVRAIS

MEDICO - CHIRVRGICA

DE

POLYPIIS VTERI

ET VAGINAE, NOVOQVE AD EORVM

LIGATURARVM INSTRVMENTO

QVAM

ORDINIS INCLVTE MEDICORVM CONSESSV

PRO RITE ORNENDO



C. R. M. D. V. C. T. O. H. J. S.

MEDICINAE ET CHIRVRGIAE

PUBLICAE CHRVSRAE SVBMITTIT

AVCTOR

WOLTER ANDREAS NISSEN

MDCCCXXXII

LIBRARI SVAT IN TABVLA

DIE VII NOVEMB. MDCCCXXXII

GOTTINGAE

THOMAS JOH. GUSTAV. DISTRICTOR



V I R O

ILLVSTRI ATQVE EXPERIENTISSIMO  
**PHILIPPO GABRIELO HENSLERO**

MED. D.

AVG. REG. DAN. ARCHIATRO

ACADEMIAE CHRISTIANAE ALBERTINAE PROFESSORI  
PVBlico ORDINARIO

REG. SOC. MEDICAE HAFNIENS. MEMBRO &c.

V I R O

ILLVSTRI ATQVE EXPERIENTISSIMO  
**GEORGIO HENRICO WEBERO**

MED. ET CHIR. D.

ACADEMIAE CHRISTIANAE ALBERTINAE PROFESSORI  
PVBlico ORDINARIO &c.

NEC NON

V I R O

ILLVSTRI ATQVE EXPERIENTISSIMO  
**JO. ALBERTO HENRICO REIMARO**

MED. D.

POLIATRO HAMBVRGENSI

SOCIETATI OECONOMICAE HAMBVRGENSI ADSCRIPTO &c.



HASCE STUDIORVM ACADEMICORVM

PRIMITIAS

SACRAS ESSE VULT PIAQVE MENTE OFFERT

MVNIMONVM TANTORVM

CVLTOR ADDICTISSIMVS

A V C T O R.



## PRAEFATIO.

Verissime fane STARKIUS Ienensis, Vir Illustris atque doctissimus, nouum ad polypos vteri curandos methodum describens <sup>1)</sup>, monuit, non instrumentorum copiam bonum chirurgum et obstetricatorem efficere; sed potius eorum simplicitatem et facilitatem in comparando, nec non aptitudinem ad plures vsus summam rei constituere. Qua de caussa in polypo vteri ligando commendat, alterum SMELLIANAE forcipis brachium, vel, si id non sufficiat, ambo, et catheterem, in foeminis vsitatum, adhibere. Haec instrumenta, sic pergit, vnicuique, qui artem obstetriciam exercet, necessaria sunt, ideoque opera non ingrata erit, virtutes eorum hucusque in iis ignoratas proponere. Haec viri docti cogitata, a labore, nouum a me excogitatum instrumentum in lucem edendi, omnino deterrire potuissent, sed duo praecipue

A 3

<sup>1)</sup> *Archiv für die Geburtshülfe, Frauenzimmer- und neugeborner Kinder - Krankheiten. 2tes Stück. Iena 1787. pag. 151.*



cipue sunt argumenta, quae nihilominus ad hoc suscipiendum me incitarunt. Primo enim forcipem SMELLIANAM non tam frequentissime in manibus obstetricatorum esse, nec esse debere, existimo, ut Ill. STARKIUS suspicatur, quum in ipsa Anglia, ubi primo innotuit ista forceps, iam a multis, tanquam imperfectum instrumentum, reiectam esse, legamus, ibique, uti apud nos, forcipe LEVRETIANA, cui omnes virtutes boni instrumenti insunt, utantur obstetricatores. (Iam per se intelligitur, de simplici immutataque forcipe LEVRETIANA sermonem esse, omnes enim emendationes et correctiones ab anno 1763 usque ad hodiernum diem factae, illius usum non faciliorem reddiderunt, sed potius impediuerunt). <sup>2)</sup> Deinde applicatio brachiorum forcipis SMELLIANAE et catheteris, nec non digitorum obstetricatoris instrumenta regentium, non sine magnis doloribus coniuncta esse videtur. Praecipue cum brachia forcipis variis directionibus huc et illuc in adhibendo filo mouenda sint, quod a superiore brachiorum parte adstringi, et circa pedunculum polypi circumduci debere

<sup>2)</sup> Sic inter alia apud Ill. FISCHERUM, praceptorem pie colendum, mutatam LEVRETI forcipem a Coutouly chirurgus Parisino, visendi occasio fuit. Quamuis hoc instrumentum praeterito demum anno in lucem prodiit, attamen tantis molestiis v. g. epitoniis, vncis, ansis et quae sunt reliqua, laborat, ut propria cista requiratur, ne vna vel altera magni huius apparatus pars, amittatur, itaque applicatio instrumenti irrita reddatur. Praeterea quatuor adeo brachia in illa reperiuntur, quorum duo in interna superficie ingentibus retinaculis acutis, dimidii pollicis longitudine, instructa sunt. Quis putaret, sub finem seculi nostri, ubi tanti in omnibus fere scientiis facti sunt progressus, homines inueniri, qui nobis persuadere conentur, ut simplicia nostra, eademque experientia probata instrumenta, cum miseris istis, sic dictis, emendationibus permutemus! —



debere constat <sup>3)</sup>. Quin vna ex praecipuis causis, cur nostris temporibus forceps LEVRETIANA, SMELLIANAE anteponatur, praesertim hoc loco notanda est, breuitatem dico. Si igitur polypus in superiori vaginae parte adhuc latet, necesse est, vt iunctura cochlearium forcipis, omni ratione molesta, vna in vaginam promoueatur, quae necessario in agitatione brachiorum partes genitales internas, quinimmo externas, laedere debet, vel saltem polypum dilacerat, ideoque haemorrhagias producere videtur. Quod si autem obstetricator forcipem SMELLIANAM ad ligaturam polypi sibi comparat, nouumque catheterem, trochleae causa, quam Ill. STARKIUS, ad modum HERBINIANUM <sup>4)</sup>, in inferiore catheteris parte adhibuit, sumtum diminutionem certe non video, vt omittam ingentem dolorum molestiam, quae vt supra dictum est, methodum STARKIANAM sequi videtur.

Ex quibus omnibus quemque satis abunde perspecturum, credo, me non plane inutile opus suscepisse, quod ad multitudinem instrumentorum vnum adhuc

<sup>3)</sup> At dicat quidam: omnes de facilitate applicandi SMELLIANAE forcipis consentire, ideoque opprobrium meum falsum esse. Iste vero sciat: si sub iustis indicationibus, ad partum accelerandum forceps in genitalia, iam ad partum parata, immititur (in quem vsum tantummodo excogitata est) auxilium omnino de illa expectandum esse, me persuasum habere; sed in polypis ligandis brachia forcipis partibus genitalibus, nequaquam a natura dilatatis, adhibetur, ex quibus sequitur, sine magno dolorum sumtu, et laesione partium genitalium non facile applicationem fieri posse.

<sup>4)</sup> HERBINIAUX Parallele de differens instrumens pour la ligature des polypes etc. a la Haye 1771.



adhuc adiecerim. Diu enim mihi, grauitatem et periculum polyporum animo voluenti, et in remedia, quibus hicce morbus tollatur, inquirenti, in mentem venit, illa ad calcem dissertationis tabula aenea annexa, ad ligaturam polypi vteri instrumenti forma. Sed praecipue id mihi agendum esse censeo, vt lectoribus beneuolis causas, quibus nouum instrumentum, in quod incurri, aliis antecellere videatur, proponam. Priusquam vero ad hunc finem persequendum me accingam, non inutilem operam in breui morbi descriptione collocaturum me confido. At quum et in veterum et recentiorum scriptis multae huius morbi descriptiones iam occurrant, et praecipue opera Ill. RICHTERI <sup>5)</sup> praeceptoris summopere colendi et LEVRETI <sup>6)</sup> naturam eius satis nos edoceant, actum forsan agere quibusdam videbor, quod commentatiunculae meae, historiam eiusdem morbi praemiserim. Isti vero paucis monendi sunt de causa, cur hoc consilium inierim, quae nulla alia est, quam vt perspicuitas dissertationis efficiatur; vt nimirum ea, quae deinceps prolaturus sum, clarius percipiantur, morbi descriptionem, licet breuem, nequaquam superuacaneam esse ratus sum.

<sup>5)</sup> *Anfangsgründe der Wundarzneykunst. 1ter Band. pag. 401.*

<sup>6)</sup> *Observations sur la cure radicale de plusieurs polypes de la matrice etc. Paris 1771.*



## *Definitio et descriptio morbi.*

### *§. I.*

**P**ositum sit igitur imprimis definitionem morbi, ex qua omnis disputatio exire debet, apponere; nam varia huius morbi nomina cuiusque fere linguae excultae, in omnibus de hoc argumento scriptoribus obuia, iterum dissertationi praemittere, superfluum videtur, quod si vero quis illa cognoscendi cupidus sit, adeat INGRASSIAM <sup>7)</sup>, LEVRETUM <sup>8)</sup>, HERBINIAUX <sup>9)</sup>, LE BLANC <sup>10)</sup> aliosque. Est autem polypus vteri nihil aliud, quam excrescentia carnosae, quibusdam partibus interioris vteri insidens, eaque non perforata, vndique libera, pyriformis, radice angustior. Nomen ipsum desumptum est a similitudine, quae inter hanc excrescentiam et animalia, vel maris vel aquarum dulcium, sub eodem titulo satis nota, intercedit. Iam quod attinet ad diuersa polyporum genera, triplici ratione diuiduntur: secundum insertionem, consistentiam et indolem; quae quidem diuisio, quum medico practico maximi ad

<sup>7)</sup> JO. PH. INGRASSIAS de tumoribus praeter naturam. Neapoli 1552. Tractatus I. pag. 280.

<sup>8)</sup> Mem. de l'acad. de chirurgie Tom. III. pag. 552. et LEVRET. l. c. pag. 11 seq.

<sup>9)</sup> Traité sur divers accouchemens laborieux et sur les polypes de la matrice etc. Bruxelles 1782.

<sup>10)</sup> Précis d'operations de chirurgie Paris 1775 Tom. I. Chap. pag. 344 seq.



ad diagnosin et methodum curandi sit momenti, operae pretium erit, distinctius et fusius vnamquamque diuisionem explicare.

## §. II.

Primam diuisionis rationem insertionem dixi, quae quum ad cognitionem loci, cui polypus radice sua inhaeret, non parum afferat, haud omittenda videtur. Quadruplex hic est notanda diuersitas. Inhaeret enim polypus:

- 1) vel fundo caui vteri,
- 2) vel superficiei internae colli vteri,
- 3) vel margini orificii vteri,
- 4) vel ipsi vaginae insidet.

Inter primas species is, qui originem ex vteri fundo ducit, saepissime occurrit, caeteros rarius inuenies. Plerumque carnosae indolis est, et eo a vaginae polypis, qui saepius mucosam praese ferant naturam, differt; atque illos deinceps §. XI. curatius explanabo, quod facillime cum aliis vaginae infirmitatibus confundantur.

## §. III.

Si ad consistentiam polyporum spectes, optime in duo genera dispescuntur:

- 1) in polypos carnosos, qui saepissime inueniuntur, et
- 2) in polypos tendinosae indolis, eosque praesertim pedunculo tendinoso praeditos.

Polypi mucosi, a quibusdam scriptoribus ad proprium genus relati, melius, vti mihi videtur, spurii adnumerantur, nascuntur enim tantum in vagina, nec in vlllo auctore polypum mucosum legimus descriptum, qui ex ipso vtero ortus sit. Pona-  
mus vero illum inueniri, attamen vti polypus carnosus tractandus est. Praeter haec, quae iam nominaui genera, reperies in quibusdam auctoribus mentionem polyporum factam esse, aliam adhuc materiam continentium, v. g. crines, massam pul-  
ticu-



ticularem, alia, <sup>11)</sup> vt in steatomatibus. Sed hanc ob causam noua polyporum genera assumere, nihil aliud esset, quam studium eorum superuacaneis distinctionibus onerare, praesertim quum istae varietates, vti merito nominantur, ratione medelae nihil differant; eadem enim methodo, qua polypi carnosii curantur, et culter anatomicus, perfecta demum felici curatione, cognitioni consistentiae polypi extirpati lumen asserre potest; tunc enim perspicere nobis licet, vtrum materia sit carnosae, an peregrinas adhuc particulas contineat polypus.

#### §. IV.

De propria polyporum indole, sententiae scriptorum quam maxime discrepant, nulla saltem ab omnibus subscripta opinio inuenitur. Sunt, qui eos nunquam fere scirrhusae vel cancrusae naturae esse dicant; <sup>12)</sup> alii vero in contrarium disputant. Quinimmo et LEVRETUS polypos renascentes et viues affert, qui curatione perfecta, vti polypi narium et faucium redeant, plerumque magnam et teretem massam contineant, nec vilo vel minimo tantum pedunculo praediti sint. Idem plurium excrescentiarum minori magnitudine, quae semel extirpatae semper renascuntur, mentionem facit. Iste vero morbus, maiori iure venereis affectibus adnumerandus, eamque ob causam vsus remediorum antiuenericorum in cura eius haud reiiciendus videtur.

### Diagnosis.

#### §. V.

Diagnosis huius morbi interdum difficillima est, ideoque a nonnullis chirurgis in eo cognoscendo vitia commissa. Quae quidem quanti detrimenti asserant sole clarius est, qua de

B 2

caussa

<sup>11)</sup> SANDIFORT Obs. anat. pathol. Lib. I. Cap. VIII. pag. 106. De tumoribus vtero adnexis.

<sup>12)</sup> RICHTER l.c. §. 613.



caussa veniam impetraturum me confido, si circa haec longius lectores detineam; praecipue quum vnusquisque polypus ratione insertionis diuersa nobis afferat symptomata, hoc ex capite accuratori lance sunt perpendendi. — Ac primum quidem, *polypus ex vteri fundo natus*, initio, omni licet, quantum fieri potest, opera adhibita, medicum fallere potest; decursus eius hic fere est: sentit mulier primo abdominis tumorem vna cum pondere in regione hypogastrica infueto, polypum tunc ad singularem magnitudinem iam auctum esse, per se intelligitur, prima enim ipsius origine nondum animaduertitur, nec partes genitales vllō modo a solita forma recedunt. Si fluxus menstruus haud cessat, non facile grauiditatis suspitioni locus est, inuersa autem ratione aegrotam grauidam esse, haud dubitatur, nisi exploratione interna cognitio morbi acquiritur. Alioquin tempus tandem dubia de grauiditate signa depellere potest; nam quatuor vel quinque mensibus praeterlapsis, diuersitatem a decursu grauiditatis cognoscimus. Interim plurimi auctorum confirmant, miseram, hoc malo affectam, fere nunquam concipere <sup>13</sup>), quod si concipiat, raro tamen ad iustum tempus foetum in vtero gerere. Haud me fugit, praeter foetum naturalem, saepius peregrinum corpus in vtero deprehensum esse, quod vero polyporum generi adscribi iure non potest <sup>14</sup>).

## Polypo

<sup>13</sup>) HIPPOCRATES de natura muliebri. Edit. Linden. Art. 31. Tom. II. pag. 391 et de morbis mulierum Lib. II. Art. 45. Tom. II. pag. 576.

EDMUND CHAPMANN An Essay on the improvement of midwifery Lond 1733. 8. Cap. 48. pag. 112 seq.

BOETGER Diss. de inflammatione vteri, cum subiuncta obseruatione de vteri sarcomate. Praesid. Timmermanno Rintelli 1761 pag. 71.

<sup>14</sup>) Sic v. g. Ill. SAXTORPH in Collectan. Hafnien. Vol. II. pag. 130 narrat: se cadaueris puerperae, obliquum grauiditatis tempore vterum gestantis, et tertio a partu die febre inflammatoria oppressae, sectione instituta, in cauo vteri tumorem sarcoideum



Polypo accrescente, quod quidem, donec vtero inclusus est, tardius procedit, paulatim orificium vteri dilatatur, etiam si explorationem instituamus, facile grauiditatis suspicionem contrahere possumus, nates infantis praeuias existimantes, praecipue, quod non raro in polypo animaduertitur quaedam impressio huic infantis parti haud dissimilis. Quin in hoc ipso morbi statu, priusquam nempe polypus in vaginam descendit; haemorrhagiae interdum lethales occurrunt. Mulier quaedam, teste SAVIARD <sup>15)</sup>, frequentioribus et vehementissimis haemorrhagiis consumpta, animam efflauit, postquam ille frustra corpus peregrinum ex vtero detrahendi operam dedisset.

De tristi hoc caso Ill. RICHTERUS <sup>16)</sup> quaestionem proposuit, quibus remediis misera e mortis periculo eripi possit, si nullo modo polypus in vaginam detrahi, ideoque ligari queat, nec medicamenta sanguinem sistentia, quae minimam tantum, eamque intactam polypi partem, in ore vterino prominentem attingere possint, quidquam proficiant; atque haec quidem quaestio, quum, uti mihi innotuit, nullibi soluta sit, infra §. XXIII. sententiam meam hac de re clarius explanare conabor.

## §. VI.

Sensim vero polypus in vaginam descendit, atque ita quidem, ut hunc descensum saepissime dolores parturientium co-

B 3

miten-

deum insignis magnitudinis inuenisse, qui nullibi cum eo cohaerit etc.

Simile inuenies in *Journal de medecine* Tom. XLII. p. 370 seq. Cl. GIROUD post partum mulieris observauit abdomen tumidum, quum vero alium adhuc infantem inesse ratus, manum immisisset, tumorem mollem atque oblongum reperit, nusquam vero vtero infixum; etenim facile extrahi potuit, et nihil, nisi bullae expansae speciem, quae statim sponte disrumpebatur, repraesentauit. —

<sup>15)</sup> Recueil d'observations chirurgicales faites par Mr. SAVIARD commentées par Mr. LE ROUGE. Paris 1784. pag. 143 seq.

<sup>16)</sup> *Chirurgische Bibliothek* Band 7. Stück 4. pag. 668.



mitentur. Omnes fere super hoc argumento scriptores, mentionem faciunt eiusmodi dolorum. Cl. TANNER <sup>17)</sup> v. g. commemorat, foeminam inter ambulandum doloribus parturientium correptam esse, quibus polypus in vaginam ex vtero depressus sit. Idem affirmat Cl. BAUDIER <sup>18)</sup> in obseruatione de polypo vteri, nec non HERBINIAUX <sup>19)</sup> aliique. Accidit etiam interdum, quod polypus statim in vaginam maioribus vel minoribus prolabatur molestiis. Simile exemplum inter alios ENAUX <sup>20)</sup> refert.

Quod si nunc aegrota nullum medicae artis peritum, sed vulgarem foeminam obstetricem accersuit, haec miseram non raro in maximum periculum detrudit; prolapsus enim vteri cum inuersione haud euitandus, obstetrice omnibus viribus hoc corpus peregrinum extrahere, quod tamen nullo modo fieri potest, allaborante. Nunc vero polypus limitibus, quibus in vtero circumscriptus erat, solutus, mirum in modum accrescit, et molestias, quas iam antea facefferat, multis aliis auget.

Vesicam

<sup>17)</sup> Dissertatio de polypo feliciter ex vtero extirpato. Argentor. 1771.

<sup>18)</sup> *Journal de medecine* Tom. XLIII. pag. 373. Observation sur un polype uterin. "Enfin, inquit ille, les douleurs se declarerent, „elle crût son accouchement prochain, elle fit venir la sage femme, qui attendit deux ou trois jours, mais inutilement, quois, „que les douleurs fussent les plus fortes." etc.

<sup>19)</sup> *l. c.* Tom. II. pag. 32.

"Lorsque le polype a forcé la matrice à s'ouvrir, il retarde „guere à franchir son orifice, par l'effort expulsif (wehen) de „ce même viscere."

<sup>20)</sup> *Mem. de l'acad. de Dijon.* I. Semestr. 1783. Observation sur différentes tumeurs polypeuses, par Mr. ENAUX. Troisième Obs. sur un polype uterin, narrat ille pag. 74.

"Quinze jours après cette époque elle sentit une tumeur considérable, tomber facilement dans le vagin, cette chute fut „suivie de douleurs qu'elle éprouva dans toute l'étendue du ventre."



Vesicam vrinariam non minus ac intestinum rectum comprimit, ideoque functiones harum partium impedit, laeditque; his accedunt vehementissimae haemorrhagiae, adeo ut, aegrotae non raro mortis periculum subeant. Causae haemorrhagiarum iure ex strangulatione pedunculi polypi in orificio uteri repetendae sunt, quum ea ipsa strangulatione magna in polypo sanguinis copia retineatur, eiusque vasa extendantur <sup>21)</sup>. Nemo igitur haemorrhagias necessario oriri debere, inficiabitur. Licet vero plerumque sponte sedantur, minima tamen corporis concussionem redeunt v. g. si scansione scalae aegra lapsa, vel si plano solo hallucinatur cet.

Praeterea fluor albus his symptomatibus adiungitur <sup>22)</sup> aegrotam non minus debilitans, saepissime polypus, causa huius effluxus et haemorrhagiae, cognitionem fugit, quocirca in omni haemorrhagia et vaginae effluxu nihil magis exploratione commendandum, illa enim certiores nos reddere debet, utrum polypus horum phaenomenorum causa sit, an alia ad cognitionem causae ingredienda sit via <sup>23)</sup>.

## §. VII.

<sup>21)</sup> LEVRET. l. c. pag. 25.

„J’ai toujours remarqué, que l’hémorragie ne paroît que lorsque le corps de la tumeur a franchi en grande partie l’orifice propre de la matrice, et qu’il commence à s’étendre en tous sens dans le vagin: alors le sphincter de la matrice comprime les veines extérieures du polype, ces veines en conséquence deviennent variqueuses, elles se rompent enfin, et c’est leur rupture qui occasionne l’hémorragie etc.

<sup>22)</sup> HERBINIAUX l. c. Chap. I. Sect. I. pag. 25 seq.

<sup>23)</sup> Exempla ex negligentia saluberrimi huius moniti exorta saepius occurrunt in scriptoribus. Sic v. g. MARTIN narrat in *Journal de medecine* Tom. XXXII. pag. 274 seq.

Mulier, de qua hoc loco mentionem facit, obiit haemorrhagia uteri, nullo medicamine vincibili. Quia polypus uteri, quem nemo cognouerat, occulta huius lethiferae haemorrhagiae causa fuit.



## §. VII.

Polypus, vel per breuius vel longius temporis spatium in vagina moratus, quocunque casu, siue insolito corporis motu, e vagina illico prolabitur, raro paulatim procedit. Iste prolapsus, semper cum inuersione vteri coniunctus, nouas et quidem grauiore efficit molestias. Quomodo enim euitandum, ne dolores et distensiones in abdomine, ischuria et stranguria, ob mutatam vrethrae et vesicae vrinariae conditionem oriantur? quomodo auertendum, ne ex attritu externo et vrina, supra polypum decurrente, inflammatio, quinimo exulceratio in quadam polypi parte eueniat?

Atque hunc quidem morbi statum, praesertim polypo nondum vaginae limites transgresso, *cum vteri prolapsu sine inuersione* confundere facillimum est, nisi his indiciis attendas:

Polypus mollis minusque sensibilis, quam vterus in tactu animaduertitur, praeterea in prolapsu vteri orificium praenium est, in quod digitis aut specillo altius penetrare licet, quod in polypo autem, etiamsi levis impressio interdum illi insit, nunquam fieri potest; porro polypus in inferiori parte crassior est, in superiori vero tenuior, diuersa autem prolapsus vteri forma deprehenditur.

Prolapsus denique facile et cum aegrotae leuamine reponitur; polypum vero summo molestiarum foeminae sumtu paululum tantum reprimes, sed frustra; mox enim relabitur.

Minoribus difficultatibus coniuncta est diagnosi, quando polypus extra vaginam conspicitur, nam in simplici prolapsu sine inuersione os vteri praenium cernitur, et specilli immissio haud impeditur; in polypo contra ex argumentis euidentissimis nunquam concessum est. Si denique in reprimendo tumore attendas, quomodo aegrotata se habeat, facile perspicies, num polypus sit, nec ne.



## §. VIII.

Porro summa adhibenda est diligentia, ut haec duo probe distinguas: *utrum tumor in vagina polypus sit, an uterus inuersus*, quum peritissimis adeo chirurgis accidit, ut vterum inuersum, ex falsa, polypum adesse, opinione, religarent, ideoque hunc casum distinguere non valerent. Ut itaque hi duo casus quam maxime sibi similes haud confundantur, haec notanda sunt:

- 1) Prolapsus vteri cum inuersione in puerperam tantummodo post difficilem partum, vel post placentam imprudenter euulsam, cadere potest.
- 2) Tactus in polypo ab eo in solida massa carnosae parum differt; at vteri inuersi latera, digitis praesertim in superiori parte comprehensa, modo huc modo illuc erga se ipsa contrectari possunt.
- 3) Si digitus vsque ad orificium vteri in exploratione promoueri potest, illud mirum in modum dilatatum inuenies; in polypo contra, pro pedunculi eius natura, angustum et compressum.
- 4) Circa polypi latera specillum alte in vaginam promouetur, quod nunquam in prolapsu vteri cum inuersione fit.
- 5) Haemorrhagia ex polypo nunquam certis periodis effunditur, e contrario ex inuerso vtero semper singulis mensibus, eadem, ac fluxus menstruus, ratione.
- 6) Prolapsus vteri cum inuersione semper cum leuamine aegrotae reprimi posse, non vero polypum, iure inter diagnosis adiumenta referri potest.
- 7) In polypo aegra non tantis vrinae affectionibus vexatur, quam in prolapsu vteri cum inuersione, ubi nimirum vesicae vrinariae collum prae aliis partibus patitur, adeo, ut misera fere nunquam sine catheteris ope urinam emittere possit.
- 8) Inuersus uterus in superiori parte et quidem in regione oris vterini plica seu ferto circumdatur, quod vero nihil aliud



aliud est, quam ipsum vteri orificium, per quod vteri corpus delapsum est; in polypis autem nequaquam animaduertitur.

Quae quidem omnia symptomata, si quis inter se comparat, iisque cognoscendis diligentem curam nauat, haud facile vteri procidentiam cum polypo confundet.

### §. IX.

Minori difficultate coniuncta est diagnosi *polyporum collo vteri interno adhaerentium* <sup>24</sup>). Carnosam enim massam, ex orificio vteri pendentem, conspicue sentimus, et initio morbi, vbi polypus adhuc paruus est, insertio eius facile est detegenda, quippe cum vteri ceruix eo loco, quo polypus pedunculo affixus est, crassior duriorque sit. Hoc polyporum genus minus gaudet haemorrhagia, quam prius <sup>25</sup>).

Si vero polypus inter corporis et colli vteri fines natus est, idem fere periculum, quam polypus fundo vteri inhaerens, adducit, quum enim non raro in ipso vtero ad singularem magnitudinem accrescat, et nulla forsan in vaginam se demittendi occasio eueniat, apparet, eum eadem, ac polypum supra denomi-

<sup>24</sup>) Nihilominus iste casus interdum pro vera grauiditate habitus est. „*Journal de medecine* Tom. LXIII. pag 373.

Cl. BAUDIER commemorat, mulierem per octo menses intumescantiam abdominis animaduertisse, attamen sine aliis symptomatibus grauiditatis, si fluxum menstruum suppressum eximas. Tandem tumescantia abdominis in tantam magnitudinem accreuit, vt nullum de vera grauiditate dubium admitteretur, quin adeo dolores parturientium accederent, qui autem, per tres dies aegram cruciantes, sine fructu erant. Obstetricator quidam explorationem instituens, in orificio vteri corpus peregrinum capiti infantis haud absimile deprehendit. Post vehementes per longum tempus dolores, tumor quidam intra vaginam apparuit, et aegra hoc ipso momento animam efflauit. Tunc, tumorem nihil aliud, quam verum polypum huius generis fuisse, qui Vnc. decem cum dimidia pondo habebat, sectio oadaueris manifestauit.

<sup>25</sup>) LEVRET. l. c. Sect. II. pag. 50. —



minatum, symptomata producere. Differt tantum a priori polyporum genere ea ratione, quod prolapsus in vaginam, vel adeo extra illam, nunquam inuersionem vteri efficere possit, quia pro insertione vteri fundum simul detrahare nequeat.

### §. X.

Quod ad *tertium polyporum genus* attinet, tenendum est, facillimum esse curatu, morbo scilicet nondum inueterato et absentibus complicationibus; e contrario autem non minoribus molestiis laborare. Simulac enim tantam magnitudinem affectus est, quae totam vaginam impleat, diagnosis difficillima est. Pedunculo gaudet minimo, versus quem omnis polypi tumor premitur. Hanc ob causam non temere prolabitur <sup>26)</sup>, haemorrhagiis vehementioribus caret, sed perpetuis mucosis e vagina effluxibus vires aegrotae magnopere exhaurit. Augetur difficultas diagnosis, si polypus cum labio oris vteri, cui adhaeret, ita concreuit, ut vnum idemque corpus cum eo efficiat. Haec polypi conditio ab Cel. LEVRETO non immerito periculosissima existimatur, quia aegrotae semper pereundum est, si polypus hucusque benignus, in scirrhum vel cancerum abiit, ideoque ob intimam cum labio vteri coniunctionem totus vterus eodem malo afficitur <sup>27)</sup>.

Praeterea si polypus vna cum vagina, quod non raro accidit, concretus est, idem periculum metuendum, in hoc enim statu tantis molestiis est luctandum, quae saepissime aegrotam opprimunt.

### §. XI.

*Ultimum tandem polyporum genus*, quod falso vteri polypis adnumeratur, quum nulla inter eos et vterum intercedat

C 2

con-

<sup>26)</sup> HERBINIAUX l.c. pag. 36. Nro. 515.

<sup>27)</sup> Quamuis quidem inter rarissimos casus referendum sit, polypum vteri tantam malignitatem assumpsisse, attamen apud LEVRETUM l.c. Tom. II. Obs. 24. p. 253. eiusmodi exemplum legimus.



coniunctio, et ex vagina tantum originem ducant, melius uti iam supra §. IV. dixi, ad spurios refertur. In illis notatu dignum est, quod eos nunquam haemorrhagiae, semper vero continuus et copiosior fluor albus concomitentur. Plerumque mucosae indolis sunt, quum vero multis aliis vaginae infirmitatibus facillime et praecipue cum hernia vesicae et enterocoe vaginali confundantur, necesse est, ut diagnosi curatius determinetur.

In omnibuscunque vaginae locis hicce polypus inuenitur, sed *hernia vesicae* in vaginam se immittens circa ossa pubis sedem habet, et pressioni methodicae cedit, dum teste LEVRETO <sup>28)</sup> aliisque, ista pressione missio urinae efficiatur, qua re tumor quidem pro tempore maxima ex parte evanescit, sed paucis horis praeterlapsis redit; polypus vero compressus varias profert molestias, ac praesertim excretionem urinae supprimit.

*Enterocoe vaginalis* ut a polypo vaginae distinguatur, in exploratione haec notanda sunt: polypus vaginae vterum de iusto loco, id est ex centro pelvis demouere non valet. Crassior praeterea vagina eo loco, cui polypus pedunculo affixus est, quam alibi; praecipue hoc apparet, si alterius manus digitum vaginae, alterius digitum intestino recto immittas. Porro si polypus extra genitalia prolapsus fuerit, in vaginam quidem, non vero altius retrudi potest. At longe alia animaduertitur ratio enterocoeles vaginalis, illa enim situm vteri in aliam deiecit conditionem, ad alteram partem premens. Nascitur ista hernia occasione, qua plerumque herniae oriuntur <sup>29)</sup>, v. g. nimia virium intentione, vel lapsu, ita quidem, ut aegrota in ipso herniae ortu, sub vehementioribus doloribus, in regione herniae, insoliti aliquid in vaginam descendere sentiat. Isti dolores, sensim in naturam doloris colici abeuntes, vel paulatim cessant et redeunt, vel continuo durant. Exploratio hunc tumorem a natura recedentem

<sup>28)</sup> l. c. pag. 151 seq.

<sup>29)</sup> RICHTER von den Brüchen. Cap. 40. pag. 711.



tem detegit, eumque nullam cum vtero, vel ceruice eiusdem coniunctionem habere, nobis indicat. Sub digiti pressione tumor prorsus euanescit, cessante vero pressione, iterum se ostendit, et quidem cum singulari quodam aegrotae dolore. Scandendo, tussi, vel retentione halitus, tumor extenditur, imminuitur contra vel omnino aufertur aegrota dorso incubante. Sed ad polypos reuertendum, quum de herniis nihil dicendum sit hoc loco, nisi quod ad diagnosin eorum seu distinctionem a poly-  
pis pertineat.

## *M o l a.*

### §. XII.

Quum plures sibi similes in vtero et vagina tumores, qui facile cum vteri polypis permisceantur, iam satis demonstra-  
rim, non alienum videtur, paucis licet verbis molae mentio-  
nem facere; quia saepius etiam haec cum polypis confusa est,  
qua quidem in re LEVRETUS <sup>3o</sup>) haud extra culpam, ex mea  
quidem sententia, esse videtur, inuentionem tumorum ligando-  
rum in locis profundis nimis extendens. Quomodo, quaeso,  
mola pedunculo vteri infixi et in vaginam delapsa inueniatur?  
quomodo deinde fieri possit, vt mola pedunculum accipiat?  
sed concedamus possibilitatem, attamen iste pseudopedunculus  
non alia ratione superficie vteri inhaerere potest, quam pla-  
centa in vnaquaque grauiditate naturali reperitur; ex quibus  
sequitur, hanc adhaerentiam, alio enim nomine appellari non  
potest, facile ac sponte seiungi, simulac mola in vaginam  
descendere inceperit. Quid enim mola aliud est, quam ouum  
deforme, in quo partes embryonis et secundinarum clare di-  
stinguere non possumus, quia plures nobis hucusque haud  
satis noti casus, mortem embryonis statim in prima ipsius ori-  
gine vel paulo post produxerant. Omnes quidem physiologi et  
arti obstetriciae operam dantes in eo consentiunt, naturam vltro  
nullam producere molam, sed eam solummodo post commu-  
C 3 nionem

<sup>3o</sup>) l. c. pag. 17 seq.



nionem sexuum oriri <sup>31</sup>). Nutritur quidem mola eadem ratione, qua foetus, accrescit in dies, donec naturae videtur eam emittere. Plerumque mola vltra quartum mensem, teste ROEDERERO, aliisque, in vtero non moratur, interdum tamen natura hoc peregrinum corpus vsque ad octauum vel nonum mensem alit, cum BARTHOLINUS mulieres per plures adeo annos molas in vtero gessisse contendat.

Diagnosim molarum a vera grauiditate, praesertim primis mensibus, difficillima est, quum vero non ad scopum mihi propositum pertineat, merito omittenda erit; praecipue quum BAUDELOQUE <sup>32</sup>), LEVRETUS <sup>33</sup>), ROEDERERUS <sup>34</sup>) alique, satis hoc argumentum exposuerint. Vtut vero sit, tamen ad credendum inducere me non potui, ligaturam ex opinione LEVRETI applicandam esse. Si vero quibusdam symptomatibus adducti essemus, vt hoc peregrinum corpus remoueamus, nulla alia, vti mihi videtur, ratione hoc fieri potest, quam orificii vteri dilatatione, vt nimirum digitis secundum leges artis, molam ab vtero resoluamus.

Quan-

<sup>31</sup>) J. G. ROEDERERI Elementa artis obstetriciae ed. Ill. WRISBERG Gott. 1766. Cap. 24. Sect. I. §. 738.

L'art des accouchemens par Mr. LEVRET. Paris 1766. Art. II. Abregé sur les aphorismes de MAURICEAU qui ont pour titre: Touchant le grossesse, l'accouchement, les maladies et autres indispositions des femmes. MAURICEAU 150. "Les femmes „n'engendrent, inquit ille, jamais de môles ni de faux-germes, „si elles n'ont usé du coit." LEVRET. "Ceque nous venons „d'exposer, déclare dequel sentiment nous sommes sur cet aphorisme."

The principles and practice of midwifery by ED. FOSTER. London 1781 pag. 34 seq.

<sup>32</sup>) L'art des accouchemens. Paris 1781.

<sup>33</sup>) Observations sur la pratique des accouchemens. Paris 1784. Chap. VIII. pag. 50.

<sup>34</sup>) l. c. pag. 296. §. 741.



Quandoquidem autem maxime interfit, ut molam a polypo distinguamus, his signis attendendum est: digito vaginae immisso plerumque orificium vteri clausum animaduertitur, nec prius apertum inuenies, quam si dolores partus accedunt. In polypis contra orificium vteri per plures menses latet, ita ut commode digitus immittatur. Praeterea abdomen non ita distensum, quam si mola adest. Totus porro molae decursus maiorem verosimilitatem cum vera grauiditate habet. Plerumque fluxus menstruus post communionem sexuum statim cessat. Foemina ad vomitiones declinat, et febrilia symptomata sentit. Quae quidem omnia, praecipue multiparam, clare de conceptione conuincunt. In mola tandem haemorrhagiae, apud polypos obviae, misellam haud vexant. Etiam hoc manifestum signum diligenti obseruatori verum morbi statum deteget.

### §. XIII.

#### *Aetologia.*

Quanta vix excusanda leuitate illi, quibus polypos vteri tractandi saepius occasio fuit, hanc, ex meo iudicio, grauissimam huius argumenti partem neglexerint, incredibile fere est. Quum quis facile intelliget, quanti momenti res in tractatione polyporum sit, si causas eorum detegere ac bene perspicere possimus, quia tunc primo statim in initio vel opprimere, vel, si semel iam polypus extirpatus fuerit, saltem dispositionem corporis in polypos pronam tollere valemus. Quamuis enim polypus vteri non tam facile redit, quam ille nasi et faucium, interdum tamen secundum multorum testimonium accidere solet. Attamen plurimi de polypis vteri scriptores aetiologiam silentio praetermittunt, quin ipse LEVRETUS <sup>35)</sup> celeriter ac negli-

<sup>35)</sup> l. c. pag. 15.

„Nous n'entrons point dans le détail des choses internes ou  
„cachées de ces tumeurs, parce qu'elles dépendent essentiellement  
„de diverses modifications soit naturelles soit survenues acciden-  
„tellement à la matière principe qui constitue les différentes sub-  
„stances qui entrent dans la composition de nos corps. En effet,  
„avons-



negligenter hunc locum absoluit. Promittit quidem in vnaquaque obseruatione, cuiusque polypi in libro ipsius descripti, quaedam accuratius de causis eius constituere, sed omni adhibita sollertia in perlegendis et comparandis inter se obseruationibus nihil perfecti ex illis colligere potui. Causae ab aliis assertae facile ex ipsa natura rei refutandae sunt; huc pertinet opinio: frustulum placentae relictum fundamentum polypi constituere <sup>36</sup>). Polypum vero vteri membrana interna huius visceris tectum fuisse <sup>37</sup>) ideoque primam polypi materiam sub hac membrana latuisse, inter omnes constat; deinde, quum placenta internae superficiei vteri, membrana caduca vel filamentosa HUNTERI, ex vasis capillaribus consistente, et vna cum chorion

„avons-nous quelques notions satisfaisantes sur les particules „élémentaires, qui ne sont (par le Créateur) dans la matiere primitive, et par conséquent plus susceptibles en quelque maniere „d'être analysées? Connoissons nous avec quelque certitude la „nature des molécules, qui proviennent de la prodigieuse combinaison de ces particules elementaires? non sans doute etc.”

- <sup>36</sup>) JACOB. DENYS Verhandlingen over het ampt der Vroed-Meesters en Vroed-Vrouwen. Leyden 1733. Agde Hoofdstuk. Van de valsche vrugden, die in de Lyfmoeder gevonden worden, en hoe die gehaalt moeten worden. pag. 162.

“Ook gebeurt het, dat zelf een Vroedvrouw in de verlossing van een kind van zeven, of agt maanden de geheele Naageborte geen meester kan worden, en die met stukken word afgehaalt, zoo dat wel iets blyft zitten, om dat zy vanwege de vloed, of andere redenen het werk moet staaken, dat de grond-oorzaak van een zuiger is, die schielyk kan aanwassen.” etc.

- <sup>37</sup>) SANDIFORT Obs. pathol. anatomic. Cap. VIII. pag. 3.

“Membrana quae vterum inuestiebat etiam tumorem obduxit.”

SAVIARD. l. c. Obs. 36. pag. 144. “Je fis l'ouverture de „son corps, et je trouvai dans sa matrice une masse charnue „adhérante à son fond, laquelle étoit de la grosseur d'un coeur „du boeuf revêtu d'une membrane qui sembloit être une expansion de la tunique interne de la matrice.” etc.

MILLERET idem obseruatie narrat conf. Nota ad §. XVII. LEVRET. l. c. pag. 279.

BERTRANDI Trattato delle Chirurgia pag. 383 idem affirmat.



chorion placentam formante <sup>38)</sup>, inhaereat, haec opinio locum habere non potest. Praeterea exempla extant puellas duorum annorum polypis vteri correptas esse <sup>39)</sup>, in quibus tamen omnis suspicio frustuli a placenta relictī sponte evanescit. Quinimo repugnat haec opinio obseruationibus de polypis in externa superficie vteri inhaerentibus <sup>40)</sup>, et polypis, vt illos nasi et faucium omittamus, partibus insolitis corporis humani, v. g. in

<sup>38)</sup> G. W. STEIN *Theoret. Anleitung zur Geburtshülfe. Cassel 1783 3ter Abschn. Cap. I. Von den Häuten des Eyes.*

J. D. JACOBS *Ecole pratique des accouchemens Paris 1785. Chap. V. Sect. I. pag. 76.*

ALB. HALLERI *primae lineae physiologiae Ed. Ill. WRISBERG Gott. 1780. § 891.*

J. F. BLUMENBACHII *Inst. physiologiae 1787. Sect. XLIV. §. 527 seq.*

ROEDERERI *Elementa artis obstetriciae Ed. Ill. WRISBERG Gott. 1766. Cap. IV. §. 70. pag. 34.*

SMELLIE *Treatise on the Theory and Practice of midwifery. 1766. Vol. I. Sect. IX.*

ASTRUC *l'art des accouchemens reduit a les principes. Paris 1766. Liv. I. Chap. III. Des enveloppes du fœtus pag. 17 seq.*

BAUDELOQUE l. c. Tom. I. Sect. VI. pag. 163 seq.

Egregias praeterea icones Cel. GUIL. HUNTERI *anat. vteri gravid. Tab. XXI.*

<sup>39)</sup> RICHTERS *chirurg. Bibliothek Band 6. Stück 3. pag. 539.*

*Chirurgische Wahrnehmungen von H. PFAFF.*

Singulare erat, quod iste polypus quatuor hebdomadibus praeterlapsus rediret — reiterata licet felici ligatura, donec auctor pedunculū omni vi quassare et destruere consilium iniit. Quo facto infans pristinae sanitatis statum recuperavit.

<sup>40)</sup> MOHRENHEIMS *Beobachtungen verschiedener chirurgischer Vorfälle. Tom. I. pag. 612.*

Descrbitur casus, in quo foemina, quamvis excrescentia carnosā magnitudine capitis infantis septimestris, in superficie postica vteri externa inhaereret, et alium polypum forsan magnitudinem nucis anellanae emetientem in vtero gereret, attamen gravidam esse factam, et post tres dies sequelis partus difficilis oppressa sit. —



in intestino recto <sup>41)</sup>, obuiis. His accedit, quod polypi multo frequentiores reprehenderentur, si frustulum a placenta relictum pro causa illorum habenda esset, quum plures et recentiorum et veterum, placentam vel vniuersam vel ex parte saltem, post plures demum menses ex vtero remouerint, sine periculo vel polypi vel aliorum affectuum.

Inter omnes de hoc argumento scriptores, qui mihi innotuerunt, nemo polyporum causas copiosius exposuit quam Cl. ASTRUC <sup>42)</sup>. Omnia vero eius scripta hoc loco apponere superfluum esset, sed breuiter praecipue eius rationes comprehendam :

1) Internae vteri laesiones causae sunt, cur postea polypi oriantur, istae vero efficiuntur

a) imprudenti tractatione ac violatione vteri inter partum,

b) adhaesione guttularum acrium in vtero, quae ibidem per irritationem sensim fundamentum huius periculosissimi morbi ponunt. — Hae guttulae variae indolis esse solent v. g. acrimonia fluoris albi, vel virus venereum,

<sup>41)</sup> *Mem. de l'acad. de Dijon* l. c. pag. 67. Obs. sur différentes tumeurs polypeuses par Mr. ÉNAUX. his verbis sententiam suam exprimit: "Ily avoit trop d'analogie entre cette tumeur et le polype uterin, pour ne pas employer le même moyen." etc.

SCHMUCKERS *vermischte chirurgische Schriften*. Tom. II. pag. 202. Cl. LANGE Berolinensis, eiusmodi polypum describit, qui magnitudine nucis auellanae erat, et pedunculum habebat crassitudine quadrantis digiti, post sex dies delapsus est, filo valde cerato bombycino ligatus, nec vrquam rediit. — Quod si autem cui dubia de his observationibus occurrerent, v. g. quod haemorrhoides saccatae falso pro polypo habitae sint, inspiciat SCHMUCKER l. c. Tom. I. Obs. X. p. 221. Hic enim Cl. HORNE historiam talis polypi feliciter curati exhibet, in quo nullo modo ex toto decursu vera polypi indoles ignorari potest. —

<sup>42)</sup> *Sur les maladies des femmes*. Tom. III. Art. II. pag. 172.



nereum, vel iniectiones ad virus venereum tollendum nimis corrosivae.

- 2) Relaxatio vnius vel alterius regionis vteri, quae non raro ex nimia extensione tempore grauidatis et partus orta est, rarius enim fluor albus inueteratus ab ASTRUQUIO pro altera causa relaxationis habitus, eam efficiat.

Causas praedisponentes ad originem huius morbi requiri, bene quidem sentio, alio enim modo ortum polyporum e. g. in puellis immaturis, vel in externa vteri superficie, explicare non possum. Ideoque sententiam Ill. STARKII <sup>43)</sup> dispositionem scilicet quandam in partibus genitalibus adesse, qua haec vel illa vteri, vel vaginae regio nimis laxior effecta sit, ut istae partes ad connexum soluendum proniores reddantur, et inde stases et obstructiones, spissorum nec non acrium humorum cum omnibus sequelis nociferis procreentur, lubentissime subscribo.

Sed ubi diagnosi eiusmodi causarum reperitur, ex quibus conicere possum, huic vel illi periculum polypi vteri imminere?

Quae quum ita sint, illum iam satis partes suas agere puto, qui prophylactice his causis animum adiicit, ideoque vnamquamque partium genitalium laesionem euitare nititur, quum eiusmodi laesiones praecipue polypos vteri produxisse, observationes in auctoribus descriptae, satis confirment. Nam apparet ex iis, inter decem foeminas, a polypis vexatas, octo antea partu difficili laborasse; quid igitur impedit, quin et duas ceteras in simili casu fuisse credamus, quamuis scriptores silentio praetermiserint? Quod si minus credas, nonne coniecturae locum dabis, mulieres vel per virus venereum, vel per inueteratum fluorem album, hoc malum sibi contraxisse? Num ratio est, cur hasce foeminas prospera antea valetudine gauisas esse existimem, quia auctor in describendo earum morbo nullam antecedentis mali mentionem fecit? —

<sup>43)</sup> l. c. Stück III. pag. 7 seq.



## §. XIV.

Quum nemo sane prudens haec inficias ibit, vtilissimum credo, vt methodum prophylacticam obseruemus, donec tempus et experientia clarius lumen in hac obscuritate nobis affundant. Quae vero methodus vti mihi videtur haec esset:

- 1) Omnis violenta vteri laesio in partu difficili vitanda est; huc pertinet, vt:
  - a) violentam placentae eruptionem euitemus, haec enim, quod maxime dolendum, inter mulieres obstetricis munere fungentes, frequentissima est, ex falsa opinione, dimidium tantum officii pertractasse, si placentam non statim eruperint.
  - b) laesionem vteri unguibus peracutis, vel mala encheiresi in versione infantis, aliosque in arte obstetricia casus, periculum afferentes, fugiamus.
- 2) Virus venereum, quam primum fieri potest, in corpore mulieris extirpetur, et falsum, illud iudicium, tam multis proh dolor! frequentissimum tollatur, nimirum virus venereum in foeminis non ita periculosum esse, ac in viris, ideoque negligentius tractari posse. —
- 3) Nulla fiat cunctatio in curando fluore albo, sed occurratur inimico huic foeminarum grauissimo statim validissimis remediis, praecipueque iniectionibus roborantibus.

Si quis igitur haec monita rite obseruauerit, nec polypus oritur, attamen sibi nondum persuadere potest, se malum illud prima origine extinxisse, quod alias necessario immineret; nam haec falsa persuasio non minus stulta esset, quam si ille, qui ante et post puerperium omnia administrasset remedia, quae ad auertendam puerperarum febrem faciunt, gloriaretur, se febrem puerperarum curasse; et qui hydrophobiam sanasse prae se ferret, qui homini a cane rabido morso, omnia remedia prophylactica praecepisset, quae ad extirpandum virus valuissent, quum morbo ipsi huc vsque insanabili occurrit. Habet interim gratam conscientiam, omnia illa prophylactice administrasse, quae intellectus et ratiocinia ipsum docuerunt.



## Cura polyporum.

### §. XV.

Iam veterum temporibus hunc morbum notum fuisse, saepius vero ignoratum atque innumeris aliis infirmitatibus confusum, ex observationibus veterum, sententias maxime sibi repugnantes continentibus, luculentissime patet. Nam quot inuenies auctorum, qui se vterum prolapsum excidisse et mulieres abhinc eadem, qua antea, valetudine vsas esse, narrent. Si autem LEVRETUS <sup>44)</sup> HERBINIAUX <sup>45)</sup> et post illos LE BLANC <sup>46)</sup> vno quasi ore contendunt: AETIUM <sup>47)</sup>, P. AEGINETAM <sup>48)</sup>, HIERONYMUM MERCURIALEM <sup>49)</sup>, JACOBUM HOLLERIUM <sup>50)</sup>, CHRISTOPH. A

D 3

VEGA

<sup>44)</sup> l. c. pag. 28 seq.

<sup>45)</sup> l. c. pag. 15 seq.

<sup>46)</sup> *Précis d'operations de chirurgie*. Paris 1775. Tom. I. Chap. 23. pag. 344 seq.

<sup>47)</sup> *Tetrab IV. Sermo IV.* Basilae 1749. fol. pag. 889.

„Si vero pars prolapsa temporis processu per negligentiam commputruerit, et ex assidua vrinae irrigatione, et adhaerentibus for-  
dibus exulcerata fuerit, auferatur, citra vllius periculi formidinem, narrant enim, totum vterum putrefactum aliquando ablatum esse, et nihilominus mulieres superuixisse.” etc.

<sup>48)</sup> *Opera*. Edit. Guinteri Andernacei. Argentorat. 1542. fol. Lib. III. Cap. 72. pag. 184.

„At si processu temporis id quod prolapsum est putredinem fuerit expertum id ipsum auferatur, nullius metu periculi, etenim vulua vniuersum ablata, vbi computruerit, mulierem superuixisse commemorant.” etc.

<sup>49)</sup> *De morbis muliebribus praelectiones*. Edit. V. Venet. apud Juntas 1544. fol. Lib. IV. Cap. 21. pag. 248.

„Sin vero putrescat, excindendus est vterus, auferendus e corpore mulieris, neque deterreamini vbi necessitas cogit. Nam, vt monet Paulus et Aetius, relatum est, mulieres excisso vtero suo superuixisse, id quod etiam aorum nostrorum temporibus se vidisse testatus est Nicolaus Florentinus.” etc.

<sup>50)</sup> *Opera omnia practica*. Parisiis 1664. fol. Lib. I. De morbis internis. Cap. 58. De exitu matricis. p. 445.

„Si putruerit vteri pars quae decedit, placuit graecis et arabibus vt quidquid corruptum est amputetur.”



VEGA <sup>51)</sup>, LUDW. DURETUM <sup>52)</sup> aliosque exempla memoriae tradidisse, vbi mulieres post vterum amputatum conceperint, a veritate sane recedunt, quum veteres mendacio accusant quo immunes sunt, nihil enim diligentissima perlectione in illis inuenire potui, quod assertum LEVRETI eiusque cohortis confirmet. Nam auctores modo citati vterum prolapsum amputandum esse, si computruerit, suadent <sup>53)</sup> et quamuis aegro-

<sup>51)</sup> *De arte medendi*. Lugd. Batav. Edit. Serran. 1626. fol. Lib. III. Sect. X. Cap. X. pag. 399.

“Si vero vterus humore madescens, vel a natura minime gubernatus, et ab aere externo laesum computruerit, pars putrescens, abscinditur, neque inde mortis imminet periculum, teste Paulo, sed et nos cuidam foeminae aetatis annorum XXXIV vterum putrefactum abscindere praecepimus, decem abhinc annis quae adhuc viuit!”

<sup>52)</sup> *Aduersaria et scholia* in JAC. HOLLERIUM. Parisiis 1664. fol. Lib. de morbis internis. Cap. 57. pag. 444.

“Illa praecisio non est lethalis, neque enim vterus pars est ad vitam tuendam necessaria, amputes igitur exemplo omenti, quod prolapsum excinditur quia putrescit.”

<sup>53)</sup> Constat enim, vterum non partem esse, quae necessario ad vitam pertineat, ideoque sine impendio vitae amputari posse. Exemplum memoratu dignissimum affert Ill. WRISBERG. Praeceptor omni reuerentia prosequendus, in *Commentatione de uteri mox post partum naturalem resectione non lethali*. Gott. 1787. Sed ideo cum FERNELIO (medecina vniuersa Lib. VI. Cap. XV. pag. 565 seq.) contendere velle, nihil ad vitam pertinere, vterum habere nec ne, eumque tam arbitrio, quam testiculos in animalibus, excidi posse, assertio paulo insolentior videtur; quum plures de hoc argumento auctores tristissimos euentus memoriae tradiderint. Sic v. g. THEODORUS ZWINGERUS in act. nat. curios. Vol. I. Obs. 80. pag. 152. exemplum in medium protrudit de violenta placentae eruptione vteroque inuerso, vbi post deligatum excisumque vterum aegra tertio die fatis cedere coacta est. Sectione instituta, medium vterum resecatum esse apparuit. Quinimo exempla, vterum tantummodo inuersum aegrotae mortem attulisse, nedum abscissum, haud desunt. Eiusmodi casus legitur in *Journ. de medecine* Tom. XXXII. p. 320 seq. quem hoc loco adiiciam. Cl.



aegrotam amputationem superuixisse narrant, nullum tamen verbum in illis inueni, quod aegrotam post vteri resectionem grauidam esse factam, probet. — Interim molam cum polypis vteri saepius confusam esse extra dubium est.

Sic v. g. FABRICIUS HILDANUS <sup>54)</sup> duas molas describit, ab ipso ex vtero extractas et firmissime pedunculo vtero infixas. Diligenti vero lectori statim apparet, istas molas nihil aliud, quam polypos vteri fuisse. Haec suspicatio maiorem vero-

DUBOIX narrat de muliere, quae, quum per septem dies parturientium doloribus laborasset, ope obstetricatoris et a foetu et secundinis liberata usque ad tertium diem bene se habuit. Nunc vero lochiis cessantibus abdomen cum ingentibus doloribus intumuit, pulsuque debili; fomentationes emollientes paululum quidem dolores leniuere, sed postero die tumor quidam in vagina apparuit; auctor, supra denominatus, nonnullis demum diebus praeterlapsis vocatus, tumorem e vagina propendentem magnitudine capitis foetus quinquemestris inuenit eumque liuidum, insensibilem, et quibusdam in locis gangraenosum. Accuratiore contemplatione nihil aliud quam vterum inuersum esse apparuit. Irrito conatu procidentiam reprimendi auctor ligaturam proposuit, quum autem hoc ipsi denegassent, tantummodo ad scarificationem et remedia antiseptica interne et externa adhibita confugit. Quo facto frustula procidentiae cum leuamine aegrotae separata sunt. Post aliquod dies auctor prolapsum vteri in vaginam reprimere iterum frustra conatus est, spe adductus calorem et humidam loci huius naturam separationem partium laesarum adiuturam. Antiseptica continuabantur, pus in meliorem indolem abiit et sensim omnia corrupta seiungebantur, febre et vlceribus euanescentibus. Subito vero omnia in peius ruebant — febris cum vomitu fortiori et intumescencia abdominis dolorifica aegram opprimebant.

<sup>54)</sup> *Opera medico chirurgica*. Francof. 1646. fol. Cent. II. Obs. 155. pag. 128.

„Mola quoque in conspectum se dabat, magnitudinem capitis „longe excedens, inaequalis, nonnullis quoque in locis dura „atque hinc inde purr da et foetida. Illa autem non solum vasis „cotyledonibus, verum etiam tota illa parte, qua dorsum inspicit „tam tenaciter adhaerescibat, vt sine dilaceratione vteri auelli atque „seungi non potuerit.”



verosimilitatem accipit, si XXV observationem huius auctoris perlegas; facile enim ad credendum inducimur, molam ab HILDANO descriptam eundem polypum fuisse, qui ab Ill. LEVRETO academiae chirurgorum, quae Lutetiae Parisiorum floret, propositus sit.

Sic et JO. MARINELLO DE FORMIE <sup>55)</sup>, mentionem facit molarum, quae diu vtero inhaeserant, et pedunculo arctissime infixae erant; nonne et istos polypos esse credamus?

Praeterea in *Ephemerid. nat. curios.* <sup>56)</sup> cognoscimus excrescentias carnosas itidem vtero infixas, quae post violentam extractionem gangraenam et ipsam adeo mortem produxerunt; etiam has excrescentias, pro polyphis habendas esse non dubito.

Simile iudicandum puto de excrescentia spongiosa a FRID. HOFFMANNO <sup>57)</sup> magnitudine oui anserini in vagina mulieris inuenta, et vehementiores haemorrhagias efficiente.

Denique AMBROS. PARAEUS <sup>58)</sup> de sectione cadaueris mulieris narrat, quae per duodecim annos molam in vtero gesserat. Inuenit ille hoc peregrinum corpus, magnitudine ouuli gallinae Indicae, orificio vteri infixum; quis etiam hoc loco polypum, tertii generis ignorabit?

Sic Ill. ille naturae contemplator RUYSCH. <sup>59)</sup> in obs. LVIII molam his verbis describit: eam nihil aliud esse, quam materiam informem et carnosam, conceptione haud perfecta ortam, et miratur, vnde in vetulis et puellis immaturis eiusmodi molae ortae sint, in quibus operationem adhibuisse affirmat, et sic concludit: molam esse excrescentiam vteri carnosam pedun-

<sup>55)</sup> Le medicine partenenti alle infermita delle Donne; in Venetia 1574 Cap. XXVI. seq.

<sup>56)</sup> Dec. II. annus II. obs. 186. pag. 413 seq.

<sup>57)</sup> Tom. III. pag. 300. Edit. 1740.

<sup>58)</sup> Liber de generatione pag. 771.

<sup>59)</sup> Thesaurus anatomicus.



pedunculo illi affixam, vti saepissime obseruauerit; quis, inquam, in istis sarcomatibus, sic existimatis, polypos vterinos haud agnoscit?

## §. XVI.

Remedia inde iam ab remotissimis temporibus vsitatissima, ad extirpandas excrementas hasce carnosas, fuerunt, cauterisatio, amputatio, detorsio, et, si eiusmodi sarcoma extra partes genitales prolapsum erat, ligatura.

Quum vero tres methodi priores vnanimiter reiectae sint, quum deflexio quasi a regula existimanda sit, si chirurgus, ex vlla causa permotus, satius duxerit, hanc vel illam harum methodorum adhibere, — superfluum sane videtur, accuratius eas describere atque examinare, praecipue cum LEVRETUS plurimis locis copiosius atque fufius rem tractauerit. Mihi itaque sufficiat, breuiter defensores istius methodi afferre.

Excellunt praecipue inter auctores ferrum candens vel caustica commendantes, teste LEVRETO <sup>60)</sup>, CELSUS <sup>61)</sup>, VOLTERUS <sup>62)</sup>, VERDUC <sup>63)</sup> et JUNKERUS <sup>64)</sup>. Atque hanc methodum et aegrotae periculosissimam, et chirurgus fere intractabilem, recentioribus temporibus, haud immerito reiecerunt; qua enim quaeso ratione fieri posset, vt chirurgus vicinis iisque sanis partibus parcat? si etiam nullam dolorum intolerabilium rationem habere volumus, quibus aegrotata in adhibendis his remediis excrucietur; quomodo euitabit chirurgus, ne tumorem vel nimis firmiter, vel nimis parum ferro candente seu caustico remedio tangat? Si itaque priori ratione peccat, neces-

<sup>60)</sup> Mem. de l'acad. de chirurgie. Tom. III. pag. 554.

<sup>61)</sup> Lib. VI. Cap. 18. Nro. II.

<sup>62)</sup> Schola obstetricum.

<sup>63)</sup> Pathologie de chirurgie. Paris 1710. Tom. II. Chap. 44. Art. II. pag. 552.

<sup>64)</sup> Conspectus chirurgiae Tab. Ior.



neccessario sequitur, vt inflammatio et suppuratio inde orta, ipsum vterum corripit, et aegrotam in mortis periculum detrudat — altera ratione polypus, praecipue si substantiae densioris vel adeo scirrhosae est, facile in cancrum abibit. Ex quibus omnibus id apparet, quod nemo facile negabit, hanc peruersam tractationem obliuioni tradendam esse, cuius effectus ipso morbo tristior sit.

### §. XVII.

Alteram sanandi methodum, polypum scilicet scalpello amputandi, vti LEVRETUS <sup>65)</sup> memoriae tradidit, primi AETIUS <sup>66)</sup>, FABRICIUS *ab Aquapendente* <sup>67)</sup> DIONISIUS <sup>68)</sup> et PLATNERUS <sup>69)</sup> commendarunt. Ratio vero et experientia in genere hoc remedium respuunt, vt periculosum et incertum, quia secantia instrumenta aegre in vaginam immitti possunt, ne partes vicinas laedant, et facile lethales haemorrhagias gignant, praecipue si polypus in haemorrhagias iam antea pronior fuit. Nihilominus exempla in scriptoribus occurrunt, vbi haec operatio exoptatissimo successu peracta <sup>70)</sup>, nec desunt contra, vbi mors aegrotae consecuta est <sup>71)</sup>. Ill. RICH-

TER

<sup>65)</sup> l. c. Tom. III. pag. 555 seq.

<sup>66)</sup> Tetrab. IV. Sermo IV. Cap. 104. pag. 906.

<sup>67)</sup> Chirurgia Cap. 85.

<sup>68)</sup> Operat. chirurg. demonstr. III.

<sup>69)</sup> Institut. Chirurgiae §. 1447.

<sup>70)</sup> TULPIUS Obs. chirurg. Lib. III. Cap. 33. pag. 247. Exemplum de foemina narrat, quae per longum tempus haemorrhagiis vteri vexata subito retentionem vrinae cum tenesmo experta est, postquam obstetrix corpus peregrinum capiti infantis haud dissimile animaduertisset, et aegra doloribus parturientium similibus cruciaretur, illud corpus extrahere studuit obstetrix; sed irritato conatu. Tum chirurgus vocatus veram corporis indolem (polypus erat) detegit, impigre scalpellum vaginae immisit, et excrescentiam felicissimo successu amputauit, quae magnitudinem oui anserini superabat. —

<sup>71)</sup> Valde triste, sed maxime docens exemplum ZACUTUS LUSITANUS Prax. med. Lib. II. Obs. 86. affert. Empiricus quidam, cui



TER <sup>72)</sup> casus determinate distinxit, vbi in polypis scalpellum vtero adhibendum sit:

- 1) Si ligatura frustra applicata, et propter intolerabiles dolores remota, persuasum nobis est de pedunculo tendinoso, qui nec ligari nec detorqueri potest, polypus itaque prope radicem in vagina amputandus, vel forcipe in hunc usum idonea v. g. LEVRETIANA vsque eo cautissime protrahendus, vt extra vaginam scalpello abscindi possit. Dolor et inuersio vteri vehementior nullum periculum afferunt, nam simulac polypus, cuius pedunculus in vaginam dependet, semper vterus iam paululum inuersus est.
- 2) Si polypus primi generis subito in vaginam vel extra genitalia delapsus fuerit, et haec repentina vteri inuersio, dolores acutissimos gignit <sup>73)</sup>. His et aliis periculis im-

E 2

minen-

cui mulier egena, iam diu aegrotans, sese crediderat, in vagina excrescentiam carnosam reperit, quam, cum frustra oleo vitrioli deliniuisset forcice resecauit; hanc operationem tanta haemorrhagia excepit, vt aegrotans animam efflaret. Illud exemplum necessitatem ligaturae extra omne dubium ponit, etiam tum, si ex quodam capite adducti, corpus peregrinum amputamus.

<sup>72)</sup> *Anfangsgründe der Wundarzneykunst*. Gott. 1782. Tom. I. p. 414. §. 832 seq.

<sup>73)</sup> Hanc operationem, exoptatissimo effectu factam esse, exemplum in *Journal de medecine* Tom. XLIX. pag. 214. descriptum probat. Cel. MILLERET Polypum describit, qui post longam in vagina commorationem, vbi vires aegrotae frequentissimis haemorrhagiis valde exhauserat, vna cum vomitu vehementiori delapsus est. Ligatura instituta haud separabatur polypus, quum vero mox in putredinem abiisset, cum odore foedissimo, infra ligaturam descindebatur. — Quae quidem operatio doloribus et haemorrhagiis carebat, pondus polypi Vnc. XLIV. constabat, pedunculus superiori parte excavatus erat. Auctor hanc cauitatem ex interna vteri membrana consisti, pondere polypi detracta et in longius extensa ratus, consilium dat, ne ligatura nimis alte ad pedunculum applicetur, sed tam prope ad polypi corpus, quam fieri possit, quia alias non pedunculus sed membrana vteri extensa vna prehendatur. Qua de causa explicari posse putat, cur post polypi separationem, ligatura effectam, superior pedunculi pars, evanescat. —



minentibus, chirurgus optime occurrit, ligatura statim circa pedunculum polypi, quantum fieri potest, adstricta, ita quidem, vt filum supra locum ligaturae acu per polypi pedunculum transmittat, et filum extremum quam longissime dependere curet, polypum praeterea infra ligaturam amputet, vterum denique statim reponat.

- 3) Si certo persuasum habeamus, excrescentias polyposas in vagina infixas antiueneriis, (quum fere semper venereae originis sint) vinci non posse, primum, ad difficultates excretionis vrinae et alui tollendas, ligandae sunt, et deinceps infra ligaturam amputandae; in ligaturae vsum duplex cylinder LEVRETIANUS, vel etiam instrumentum meum, minus vel magis pro ratione situs flectendum, seruiet.
- 4) Praeterea in vagina tumores alius generis inueniuntur, qui ex internis vaginae membranis in quadam regione praeter naturam relaxatis, spissatis et in longitudinem expansis producti et cum mucosis nasi polypis magnam similitudinem habent. Qui quidem saepius ex causis internis, non raro venereis, orti, cum neque remediis internis, nec adstringentibus et irritantibus iniectiōibus cedant, nullo alio modo, quam amputatione, praecedente secundum artis regulas ligatura, tollendae sunt.

### §. XVIII.

LEVRETUS <sup>74)</sup>, DIONISIUM <sup>75)</sup>, JUNKERUM <sup>76)</sup>, HEISTERUM <sup>77)</sup>, praecipuos tertiae huius methodi polypos extirpandi defensores nominat. Haec procedendi methodus in detorquendo polypi pedunculo constat. Etiam si obseruationes scriptorum prosperum huius methodi effectum nos edoceant, attamen

<sup>74)</sup> l. c. pag. 557. —

<sup>75)</sup> Operat. chirurg. demonstr. 3.

<sup>76)</sup> Conspectus chirurgiae tab. 101.

<sup>77)</sup> Institut. chirurg. cap. 151.



tamen ad summum tunc tantummodo adhibenda esset, si de tenui et molli natura pedunculi polypi persuasum habemus, et ratio adest, cur ad accelerandam curam ligatura, iam antea applicata, polypi pedunculum statim detorqueamus. In hunc finem Ill. RICHTER <sup>78)</sup> et HEVINUS <sup>79)</sup> forcipem ad modum SMELLIANAE comparatam laudant.

Polypum vero in omni casu temere, et sine vlla indicatione detorquere velle, certissime inter imprudentissimas tractationes referri potest, quia maximum periculum metuendum est, ne vterum illa in regione, cui pedunculus polypi insertus est, violentissime laedamus. Quinimo exinde tristissima symptomata, et mortem adeo ipsam, euenire, obseruationibus plurimis constat <sup>80)</sup>.

### §. XIX.

Postrema et, secundum omnium peritorum sententiam, praecipua polypos extirpandi methodus, ligatura est. Omnia enim incommoda, quae in methodis supra descriptis, euitari non possunt, in applicanda ligatura nulla sunt. Vagina instrumentis locus opportunissimus est, nec intumescencia polypi, quae post ligaturam euenire solet, vllam noxam affert, quia spatium, et partes ad dilatationem aptae illum circumdant. Praeterea molestias, ex ligatura ortas, facilius tollere possumus, quam in ligandis polypis aliarum corporis humani partium, vt nasi etc.

Incommoda, quae praecipue in ligandis polypis obuersantur, sunt retentio vrinae et alui, quorum vero alteri, ope catheteris, alteri, enematibus succurrendum est. Alia, quae ligaturam molestam reddere possint, infra fusius exponam. In vsum ipsius ligaturae innumera fere instrumentorum copia inventa est, in quibus illa, a LEVRETO excogitata, primum

E 3

fane

<sup>78)</sup> I c. pag. 408.

<sup>79)</sup> De polypo vteri §. XIII.

<sup>80)</sup> Ephemerid. nat. curios. Dec. I. annus II. Obs. 176. pag. 413.



fane obtinent locum. Quodsi vero quid boni malique unicuique instrumento insit, persequerer, variasque ea adhibendi methodos examinarem, opus quam maxime sterile suscepisse, merito reprehenderer, quum praeterea metuendum sit, ne in lectione descriptarum tantum methodorum, instrumentorumque, multa lectoribus obscuriora mansissent, nisi uniuscuiusque instrumenti formam tabulis aeneis insculptam repraesentassem.

Quae quum ita sint, de aliis methodis ea tantum afferam, quae ad instrumenti, a me excogitati, cum explicationem, tum defensionem necessaria videantur. Priusquam vero ad ipsam instrumenti descriptionem me conuertam, haud superuacaneum erit, virtutes, quae bono, ad ligaturam vteri polyporum, instrumento inesse debeant, enucleare:

- 1) Tam arcte constringi posse necessarium est, vt nulla haemorrhagia exinde metuenda sit, quae fieri solet ex accumulatione sanguinis in ipso polypo ligato, et perfacile mortem affert, si instrumentum hac necessaria virtute caret; praecipue quum haemorrhagia nullo modo remediis sanguinem sistentibus cedit, nec cedere potest, dum ligaturam auferre cogimur.
- 2) Partes genitales internae ab omni laesione instrumenti immunes maneant, quam ob causam instrumenta incuruata aliis longe anteponenda sunt.
- 3) Applicatio eius facilis sit, et structura omnino simplex. Virtus, quae in omnibus instrumentis chirurgicis tantopere desideratur.

## §. XX.

Quum tres istae virtutes hucusque, ex mea quidem sententia, in nullo eiusmodi instrumento vna adfuerint, veniam lectorum me impetraturum spes arridet, quod ingenti instrumentorum copiae vnum adhuc adiecerim.

Ac primo quidem in applicando meo instrumento, periculosissimum omnium symptomatum, haemorrhagiam puta, non timen-



timendum est, quum maxima facilitate ligaturam arctissime adstringere valeam. Quo tamen incommodo aptissimum praeterea instrumentum, ab Cel. GOERTZIO inuentum, laborare videtur. Quam primum enim ligatura firmitus attrahitur, fieri non potest, quin vis ipsius ligaturae duas instrumenti fistulas distrahat. Quod, ut magis perspiciatur, sub fig. I. tab. I. extremas fistularum partes instrumenti GOERTZII inculpsi, earumque circa polypum situm sub litt. a. b. e. f. repraesentavi. Si vero ligatura arctius constringitur, necessario, per ipsius vim, filum per fistulam a. e. traiectam, ipsam fistulam secum vsque ad c. trahet; idem accidere debet fistulae b. f., quae non magis vim fili adstricti sustinere potest, ideoque in regionem litt. d. signatam se conferre oportet. Ex quibus intelligitur, fistulas a iusto loco, fig. I. litt. a. b. e. f. designato, in situm fig. II. litt. g. h. i. k., quam maxime nocuum abituras esse. Quis autem non videt, partem pedunculi polypi fig. II. litt. i. k. ligatura prorsus carere? quem quaeso fructum hoc rerum statu a ligatura expectare possumus? quid faciendum, si polypus paululum tamen hac imperfecta ligatura lacescit et pressus haemorrhagiam excitat? peritorum praecepta ligaturam in omni polypi haemorrhagia adstringi volunt, sed qua ratione fistulis distractis id effici potest? Nec altera boni instrumenti virtute, meum carere videtur, cum eius absentia instrumentis solummodo secantibus, v. g. illi, DE LA FAYE <sup>81</sup>) excogitato aliisque, et iis omnino non curuatis vitio dari possit.

Tertium, quod superest, commodum nemo in instrumento meo adesse ignorabit, nam quisque faber argenteus facillime illud secundum delineationem tab. II. fig. 1 fabricare poterit; quum in sequentibus §§ longitudinem et latitudinem descripserim; praeterea applicationem non minori simplicitate gaudere, ex ipsa, quae nunc sequitur, descriptione apparebit. —

*De-*

<sup>81</sup>) L'art du contellier par Mr. Perret. Sect. I. pag. 358.



*Descriptio noui instrumenti uti Tab. II. Fig. I. et II.  
conspicuum est.*

§. XXI.

Consistit ex duabus argenteis fistulis, duodecim pollicum longitudine, calami scriptorii crassitudine tab. II. fig. I. a, c. b. d. quae in superiori parte a. b. specilli formam habent; inflexae praeterea ob ossis sacri curuaturam, quae quidem inflexio, uti res postulat, maior vel minor sit, quod facile fieri potest, cum instrumentum ex argento purissimo confectum esse debeat. Fistulae, quibus pro polypi natura, filum firmitus, vel ex bombyce textum, vel canabinum bene ceratum, vel argenteum transiectum est, arcte adstrictae et oleo illinitae, usque ad polypi pedunculum, ubi ligatura applicanda est, caute immittuntur. Quo facto, altera ex fistulis immota manet, altera vero circa polypi pedunculum mouetur; tunc nobis exploratione certioribus redditus, an filum polypi pedunculum iusto loco prehenderit, duplex cylindrus paruus e. fistulis duabus usque ad g. g. transmittitur; quo loco ille cylindrus duplex maneat, donec alter itidem duplex cylindrus f., qui firmitati fistularum inferuit, ad calcem earum adiectus sit. Deinde cylindrus paruulus e. usque ad extremitatem fistularum digitis promoueat. Atque hoc vltimum id est, quo incommodo, quod in GOERTZII instrumento praecipue inuenitur, occurrimus. Nam simul ac fila constringuntur, et paruulus cylindrus e. loco destinato a. b. continetur, nulla vis fistulas seiungere valet, praeterea haud metuendum est, ne paruulus cylindrus e. filis constrictis recedat.

Altera figura, tab. II. fig. II. instrumenti clausi speciem praebet. Filum circa polypi pedunculum h. i. constrictum, ex inferiori parte instrumenti k. l. dependet. In dies arctius adstrictum circa annulos m. m. alligatur. Praeterea consilium iam ab HERBINIAUX datum, ut nempe filum ligaturae applicandum, certis interuallis n. n. n. n., paruulis varii coloris ex bombyce confectis filis distinguatur, haud displicet; quia  
hoc,



hoc, crassitudinem pedunculi polypi deligandi nobis indicat, ita ut ratione temporis curandi, quaedam constituere possimus. Quinimo haud timendum est, ne ligatura in superiori parte corporis polypi applicetur, quod alias facile fieri potest, instrumento non usque ad ipsum pedunculum penetrante. Fila enim varii coloris, quae supra denominaui, hunc errorem a nobis depellent, qui ceteroquin in maximum sane periculum aegrotam detrudet.

## §. XXII.

Tumescencia polypi post ligaturam, praecipue si eius pedunculus crassus et firmus est, molestias quasdam exiguas, praeter retentionem urinae et alui §. XIX. iam commemoratam, gignunt. Aegrotata in regione lumborum non raro doloribus corripitur; et interna vaginae membrana inflammatur, cui affectus febriles accedunt. Tunc vero non cunctandum, ut venam secemus, et ad usum remediorum antiphlogisticorum interne sumptorum iniectiones in vaginam adiungamus, ut gangraenae, quae alias facile accideret, occurratur. Quae vero omnia irrita forent, nisi ligatura arctius adstringeretur, nam eo vasa et canales sanguiferi, in ipsius polypi substantiam pertinentes, clauduntur, ideoque cauetur, ne polypus magis intumescat. In hac conditione scarificationes ab Cl. GOERTZIO laudatae non solum sine periculo, sed etiam maximo fructu adhiberentur. Raro polypi separatio temporis spatium sex vel septem dierum excedit. De ipsa polypi separatione certiores reddimur, si filum arctius constringi nequit, et instrumentum manum extrahentem sequitur.

Ne vero diutius polypus in vagina retineatur, et foetore ac putredine symptomata ingrata proferat, optimum videtur, ut ope forcipis obstetriciae extrahatur, quia sponte vel nunquam vel multo ferius tamen e vagina elabitur. Opera non nullorum, in hunc finem propriam forcipem excogitandi, superflua videtur, quum nihil intersit, quonam instrumento fiat, forceps obstetricia LEVRETIANA certe instrumentum in arte obstetricia praestantissimum, ita quoque hic aptissima videtur.



## §. XXIII.

Restat vt pauca adhuc, quae ad quaestiuem §. VI. allatam pertinent, quid faciendum, si polypus nondum in vaginam descenderit, et vehementioribus haemorrhagiis vitam misellae infestat. In hoc casu ligaturam polypi in ipso vtero applicare haud recusarem, quia indicatio vitalis ad hoc confugium nos cogit, et nullum aliud salutis remedium superesse existimo. Priusquam vero ad ipsam ligaturam me accingerem, emollientibus iniectionibus partes genitales ad dilatationem necessariam praeparandae essent, quo facto instrumentum meum adhiberem, digitis antea orificio vteri, quoad necessarium, extenso. Sed libenter concedam, non nisi maximo labore, nec forsan sine laesione partium internarum paruulum duplicem cylindrum tab. II. fig. I. e., digitis ad locum destinatum moueri posse. Ex mea vero sententia etiam haec difficultas superanda esset, si in hunc finem furculam in arte obstetricia sub nomine, *Schlingenführer*, notam, et paululum forsan mutata vti tab. II. fig. III. insculpta est, in auxilium vocaremus. Hanc ferro fabricatam, atque ita incuruatam, quam instrumentum ipsum, in flexione duplicis cylindri applicarem, vti in tab. II. fig. IV. litt. o. conspicuum est, atque in locum destinatum promouerem. Praeterea obstetricatorem, qui in encheiresi furculae versatus est, nullis difficultatibus in applicatione huius instrumenti detineri posse confido.

TANTVM.



---

## THESES.

## I.

*Superfoetatio impossibilis est.*

## II.

*Sedes animae quaerenda in conflexu neruorum.*

## III.

*Ossa non sentiunt.*

## IV.

*Sensibilitas et irritabilitas eadem est vis, quae vocatur vitalis.*

## V.

*Erroneum est dictum, aegros cum optimis signis mori, cum pessimis euadere, uti et illud, urina bona pulsus bonus et aeger moritur.*

## VI.

*Summum febrium acutarum remedium est febris ipsa, sponte vel ad debitum moderamen redacta.*

## VII.

*Morbum venereum ex Antillis insulis in Europam demum post detectionem Americae transportatum esse, vix credo.*

## VIII.

*Puncta ossificationis a centro ad peripheriam, non vero a peripheria ad centrum euoluuntur.*

## IX.



## IX.

*Seculi nostri mollities maxima ex parte tribuenda est regi-  
mini potuique nimis calido.*

## X.

*Qui gymnastica corporis exercitia, v. g. natationes lotio-  
nesque in fluminibus instituendas etc. damnat, is aut ignorat ma-  
chinae nostrae indolem, aut male cupit generi humano.*

## XI.

*Tunc demum recte prospicietur sanitati publicae, quando  
ubique, et perspicue intelligetur, maximam hominum copiam etiam  
summam rei publicae efficere salutem.*

## XII.

*Sublata caussa non semper cessat effectus.*

## XIII.

*Nullus medicus practicus arte chirurgica carere potest.*



Fig. I.




Fig. II.











Autor del. & sculp.











